



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv,  
Ferdinandi S. Rom. Imp. Principis, Marchionis  
Castilionensis F. Natu Maximi, Libri Tres**

**Cepari, Virgilio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1608**

Epistola dedicatoria Illustrissimi Marchionis Castilionensis, ad Pont. Max.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43934**



SANCTISSI-  
MOD. N. PAVLO V.  
PONT. MAX.

FRANCISCVS GONZAGA  
S. R. IMP. PRINCEPS MAR-  
CHIO CASTILIENSIS.



BEATISSIME PATER.  
Cum B. ALOY-  
SIVS GONZAGA  
Frater meus ma-  
ior (quo me qui-  
dem honore indignum esse sen-  
tio) propter vitæ, quam in terris  
egit sanctitatem, propter que-  
res, intercedentibus eius preci-  
bus, post mortem, supra vim na-  
turæ factas, in ea sit gloria, vt  
non in Italia modò, sed in ex-  
teris etiam oris, eius imagini si-  
ue in tabellis, siue in ære expref-

A 2

sa, ad

se, ad instar cęlestium, veneratio,  
honorque habeatur: & verò fa-  
miliarum consuetudo sit, maio-  
rum fama illustrium memoriã,  
honoremq; cõseruandis eorum  
simulachris, propagare; statuerã  
& ego hanc historiam meæ erga  
illũ pietatis & obseruantię mo-  
numentum, ad meam, postero-  
rumque vtilitatem domi custo-  
dire. quippe quæ non corporis,  
sed animi sit effigies. quę quidẽ  
nostri pars eò est admirabilior,  
quòd omnem in cætera parte  
admirabilitatẽ facit: eò dignior,  
quòd omnis dignitatis, meritiq;  
est auctor. Verum postea, horta-  
tu Clementis Octaui Pont. Max.  
æterna memoria dignissimi, qui  
cũ & qua ille sanctimonia æta-  
tem traduxisset, teneret memo-  
ria, & editorum ab eo miraculo-  
rum

## DEDICATORIA. 5

rum famam auditione accepisset, eum bono publico vulgatum iri iudicabat, mutato consilio typis commendare decreui. Id quidem, dum ille vixit, ideo perficere non licuit, quod interea decessit à vita, dum ego Cæsaris domini mei accersitu in Germaniam sum profectus. Iam verò, postquam Tu illi, sanctissime Pater, ingenti omnium ordinum gratulatione es suffectus, neque hanc modò illius voluntatè approbauisti, sed etiam, postquam de præclaris virtutum eius exemplis, morumq; sanctitate, ab illustrissimis Cardinalibus, quibus id negotium dederas, in sacro illo senatu certior es factus, superioribus diebus, dato ad me rescripto, eum Beati titulo cohonestare dignatus es, eius nunc vi-

A 3 tam

EPISTOLA

tam non ijs modo miraculis, quæ  
 ad illam diem erant edita, sed et  
 iam, quæ deinde sunt consecu-  
 ta, auctam, tuo beatissimo no-  
 mini, quàm possum demississimè  
 consecratum venio. Quod cum  
 alijs de causis faciundum puta-  
 ui, tum verò præcipuè, vt quan-  
 do cælestibus, à supremo orbis  
 terrarum consilio, cui tu, Beatif-  
 sime Pater, præfides, æterni ho-  
 nores decerni solent, ac de ijs  
 huic etiam Beato adolescenti  
 mandandis, in eodem agitur,  
 cognoscas quanto eius merito,  
 quamque iustis de causis, eorum  
 illi copiam facere possis. Quod  
 quidem te facturum vt cõfidam  
 Tua benignitas iubet, & vt quã  
 primum annuas precor, neque  
 nostra modo omnium Gonzal-  
 giæ gentis principum, sed tot et-  
 iam

DEDICATORIA. 7

iā aliorum vota exaudias, qui  
vt eum in Diuorum numerum  
ascribas obnixè orant, idque, si  
abste impetrari fines, sibi, suæ-  
que ditionis populis multò gra-  
tissimum fore profitentur. Ad  
extremum, pedes Tuos, more  
maiorum, veneratus, mihi  
vt bene preceris, etiam  
atque etiam  
rogo.



A 4

ILLV.